M. R. P. M. fr. Juan Escudero Jordan

1651

En este legajo estan las actas y ordenaciones assi Generales como Provinciales desde el año de 1651 asta el de 170–

# ACTA CAPITVLI PROVIN- CIALIS PROVINTIAE HISPANIAE

Ordinis Prædicatorum, celebrati in Conuentu Regali Sancti Ildephonſi Taurenſis, Dominica *Deus qui errantibus*: die trigeſsima Aprilis. Anni Domini 1651.

*SVB R. A P. R N. Fr. EVGENIO IORdan Magiſtro Prouintiali electo, & Vicario Generali eiuſdem Prouintiæ.*

Anno  1651.

Valliſ-Oleti. Ex Typographia è Manuelis Ruiz de Valdiuielſo.

# HAEC SVNT ACTA

CAPITVLI PROVINCIALIS PROuintię Hiſpanię Ordinis Prædicatorũ, celebrati in Cõuẽtu Sãcti Ildephõſi Regalis Taurẽſis Dominica *Deus qui errantibus*. Die 30. Aprilis. Anni Domini 1651. Sub R. A. P. N. Fr. Eugenio Iordan Magiſtro Prouinciali electo, & Vicario Generali eiuſdem Prouinciæ. Diffinientibus R R. A. PP. NN. Fr. Ioſepho de Perlines Caliſicatore Sancti Officij, & quondam Prouintiali, Fr. Franciſco de Aragon Magiſtro, Primariæ Cathedræ in Vniuerſitatæ Salmantina Moderatore, Fr. Eugenio de Mora Paſſamontes Præſentato Sancti Officij Calificatore, & Priore Sancti Ildephonſi Taurenſis, Fr. Didaco Ramirez Præſentato Supræmæ Inquiſitionis Caliſicatore, & Priore Sanctæ Mariæ de Atocha.

## *DENVNTIATIONES.*

DENVNTIAMVS, in hoc noſtro Capitulo, lectũ, & admiſſum fuiſſe edictum Sanctæ Inquiſitionis editum decima nona Octobris Anni Dñi 1633.

 & ad-

& admonemus iterum, quod Priores, & Præſidentes Conuentuum, non tenentur illud notificare fratribus determinate feria ſexta, poſt octauas aſſumptionis Beatæ Virginis; ſed ex diſpenſatione Illuſtrimi ac Reuerendiſsimi Archiepiſcopi demaſceni in Inquiſitoris Generalis Fr. Antonij de Soto Maior noſtræ Prouintiæ conceſſa, illud ſufficiat legere quoties in Capitulo, vel refectorio acta Capitulorum Prouintialium, Ordinationeſque Conuentuum perleguntur, prout aliàs denuntiatum fuit.

Item denuntiamus, quod in Capitulo Generali Valentino in hoc noſtro Capitulo aceptato, de nouo præcipitur omnibus fratribus noſtri Ordinis ſub præcepto formali, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quiſpiã directè, aut indirectè per ſe, vel per aliũ, pro ſe, vel pro alijs Ordinis noſtri Fratribus apud perſonas extra noſtrum Ordinem conſtitutas, & ex ipſo non aſſumptas gratiam aliquam, vel pœnarum remiſsionem à prælatis noſtri Ordinis obtinendam procuret, & vt ordinationes quas Reuerendiſsimus Pater noſter Magiſter Generalis Fr. Thomas Turco, (vt pote ſanctitate grauitate, & autoritate plenæ) ſemper in noſtra memoria vigeant eas noſtris inſerimus denuo, vt ſimul perlegantur quoties hæ noſtræ Ordinationes legentur.

Denuntiamus electum fuiſſe in hoc noſtro Capitulo in Diffinitorem Capituli Generalis, proximi ſequentis R.P. M. Fr. Ioannes Gonçalez de Leon.

IN

# IN DEI FILIO SIBI DILECTIS, A. R. P. Prouinciali, Prioribus, Magiſtris, cæteriſque Patribus, ac Fratribus noſtræ Prouinciæ Hiſpaniæ.

*Fr. THOMAS TVRCVS SACRAE Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſeruus, ſalutem, & obſeruantiæ zelum.*

NON Sine magna animi voluptate, ac ſingulari ſpiritus recreatione vidimus, ac perluſtrauimus in perſonali viſitatione noſtra facta per nos, in fine anni 1646. & principio 1647. ſtatũ præcipuorũ Prouinciæ noſtræ Hiſpaniæ Cõuentuum, quos per Dei miſericordiam tam in regulari diſciplina, quam in ſtudio litterarum ſatis florentes, & obſeruantes deprehendimus, cum tam ſuperiores Prælati, quam ſubditi mores ſuos, ac vitam conformiter ad ſacras Conſtitutiones noſtras, ac ſtatuta prædeceſſorum noſtrorũ in Capitulis Generalibus ſancita, non ſegniter omnes cõponere ſtudeant. Quæ ſi malitia temporum ex fragilitate humana, ac diabolica aſtutia hinc inde collapſa in priuatis perſonis, aut ſingularibus caſibus interdum annotauimus, pro paſtorali cura, ac ſolicitudine noſtra tranſeundo, remedijs oportunis reſarcire conati fuimus, pro ſpiciendo ſingulis Conuentibus pro vt opus eſſe, & expedire iudicauimus. Vnde perperam omnino cenſuimus multiplicare leges, aut nouis grauare ſtatutis, vel ordinationibus Prouinciam,

ciam, quæ hijs abundat; ſed tãtummodo eos exhortari, & omnes in Domino monere, ac per viſcera Ieſu-Christi, vt Pater filios obſecrare, vt tam ſanctè, & prouide ſtatuta obſeruetis, ac obſeruare faciatis, dummodo quibuſdam abuſibus, licet paucis, non tamen exiguis, quæ ſubdolè irrepſerunt ſtabiliorem obicem ponamus, ne altiores radices figant, ſed & radicitus, & penitus enellantur.

Primum eſt circa electiones Canonicas, tam Priorum Prouincialium, quam Conuentualium, quæ cum omni libertate Canonica à Concilio Tridentino, ac Conſtitutionibus noſtris ſub pœna nullitatis a nobis fieri præſcribantur, cauendum nobis omninò eſt, ne metu reuerentiali, minis, aut præmijs libertas eligentium, vel in puncto lædatur cum tanto præiudicio pacis publicæ, ac tranquilitatis conſcientiarum, & ne authoritas Prælatorum indebitis practicis electorum de cætero in dubium vertatur, animos ſubditorum ſuſpendentes, & merito, an ſic electi, ſint legitimè electi, & an eis obedire teneantur, an non. Nam abſolute ceſſat electio vbi adimitur libertas eligendi in 6. Decret. cap. *Vbi periculum de electione*. Vt ergò Prælatus cui de iure Conſtitutionum competit dirigere electiones Priorũ, directionis terminos non excedat, memor iudicij diuini eas prudenter ſecundum Deum, & conſcientiam dirigere ſtudeat: non autem coarctet, aut violentet, ne Priorum extorſiones, potius quam electiones eſſe videantur. Quod faciet, ſi quando probabiliter iudicauerit, quod aliquis Conuentus præcipuè ex grauioribus non eliget, niſi dignũ, qualificatum, & competentem, neminem ibidem proponendo, ſed omnino electorum libertati relinquendo. Si autem iuxta conſuetudinem Prouinciæ iam introductam, etiam extra caſum magnæ controuerſiæ aliquos proponere neceſſe fore iudicauerit, pro qualibet electione, non minus quã ſex proponat, & tales omnes quos in Deo, & conſcientia

(ſecluſo

(ſecluſo omni reſpectu humano, odio, aut amore) illi Communitati magis idoneos, ac competentes forè exiſtimauerit; idque ſub pœna, vt ſi pauciores, quã ſex propoſuerit, nullus illorũ propoſitorum eligi poſsit, aut valeat; ſed electio talis ſit nulla, & alium extra propoſitos dignum tamen eligere teneantur. Et ſi præter hos propoſitos contingat alium dignum eligi, qui vere, & realiter pro tali Conuentu aptus, & idoneus iudicaretur, eundem confirmare nullatenus differat, pro vt Capitula Generalia præſcribunt, ac diſponunt Bonon. 1564. Vallisol. 1605. nec propterea quem piam ex electoribus perſequi, aut affligere præſumant, memores cap. *Sciant cũcti*, in 6. Decretal. vbi hæc habentur. *Sciant cuncti, qui os ad quos ſpectat electio pro eo, quod rogati, & inducti, eum, pro quo rogabant, vel inducebant eligere noluerunt ſpoliant, vel iniuſtè perſequuntur, quod ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.* Quam incurrere decernimus quem cunque Prouincialem ſi eo intuitu, licèt ſub quocumque alio palliato prætextu, quem piam a Conuentu aſsignare, ſeu ablegare tentauerit.

Deinde facta propoſitione ſex, vel plurium pro qualibet electione Prouinciali, vel Prælato, neminem ex illis, aut publicè, aut priuatim, verbo, vel ſcripto, directè, vel indirectè, per ſe, vel per aliũ m, aut per alios, aut per quaſcum que interpoſitas perſonas commendare, nominare, aut alijs pſæponere, aut ſe pro vno magis quã pro alio declarare vllatenus præſumat, nec inſinuando quidem vnum quemcunque illorum cœteris eis futurũ eſſe gratiorem; ſed ſe ſe omnino indifferentes gerere tenebũtur Quòd prędictis Prouincialibus, tã pręſentibus, quã pro tempore futuris in virtute Spiritus Sãcti, ſanctæ obedientiæ ſub formali præcepto, nec non ſub pœna excõ

mu-

municationis latæ ſententiæ iniungimus, ac mãdamus: præter pœnam, vt ſi aliter fieri contigerit, electio ſubſecuta ſit nulla, & inuallida, pro vt præſenti decreto illam nullam, & inualidam, & nullius roboris, aut momenti ex nunc pro tunc illam futuram decernimus, & declaramus, & quicumque confirmator, ſiue ſit Prouincialis, ſiue Vicarius Prouinciæ, aut electionis, ſiue alius quiſcũque Prælatus, qui talem electionem ſic factam confirmare attentauerit, confirmationem taliter factam annullanmus, & inualidamus, & ipſum cõfirmatorem ab officio, & officijs tenore præſentium abſoluimus, & abſolutum ex nunc pro tunc declaramus, & eum priuatũ remanere volumus, donec per nos, vel ſucceſſores noſtros, aut Capitulum Generale reſtituatur, ſingulorum conſcientias in diem Domini aggrauantes, vt qui huius rei conſcij fuerint, aut complices, quam primum id nobis manifeſtare teneantur, vt præter pœnas impoſitas congruis remedijs occurramus.

Quòd idem de Prouincialibus intelligi volumus reſpectu electionis ſui ſucceſſoris in Prouincialatum, iuxta ordinationem Capituli Tholoſani 1628. vbi ſic habetur. *Prouinciales nullo modo, nec indirectè fratres inducant ad electionem Priorum, ſeu Prouincialis ſucceſſoris faciendum ſub pœnis grauiſſimis, etiam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad honores, & officia obtinenda.* Quod nos tenore præſentium ad honores, gradus, dignitates, & officia etiam obtenta extendimus, ipſo facto eos omnibus hijs ſpoliandos, & priuandos ſi aliquos, vel aliquem ad hũc, vel illum eligendum in ſucceſſorem Prouincialem induxerint, & eos ſi de facto conſtiterit, ſic priuatos ac ſpoliatos decernimus, & declaramus.

Præterea, vt omnes omnino vias occludamus, qui-

bus

bus electiones futuræ, coactionis labe vitiari poſſent, & vt irrefragabiles, liberæ, ac canonicæ vocalibus relinquantur, prohibemus in virtute Spiritus Sancti, ac ſanctæ obedientiæ, & ſub formali præcepto, nec non ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda hac vna protrina canonica admonitione præmiſſa Prioribus Prouintialibus, ne admittant oblationes votorum, procurent, vel ſolicitent vota, aut ſuffragia ad electiones Priorum, & vocalibus inhibemus, ne vota ſua, aut ſuffragia antequamcunque electionem faciendam, ſiue Prælato ſuo, ſiue alteri cuicumque offerant, & ſecus facientes, tam Prælatos, quam ſubditos, ex nunc pro tunc tenore præſentium priuamus voce actiua, & paſsiua, ac omnibus gratijs, & beneficijs, tam ſpiritualibus, quam temporalibus Ordinis noſtri, auferentes ab omnibus quomodocumque nobis ſubiectis, poteſtatem eoſdem reſtituendi, quam facultatem nobis ſolis reſeruatam volumus, & declaramus.

## *Circa multitudinem Præceptorum.*

LICET Prouintiales in ſuis Prouintijs, & Priores in ſuis Conuentibus poſsint ex rationabili cauſa in his quæ ad bonum regimen neceſſaria ſunt, & ad Conſtitutiones implicite, vel explicite ſpectant, præcepta facere, quæ tranſgreſſores obligent, nedum ad pœnas, ſed etiam ad culpas mortales ex vi voti obedientiæ, prout in Prolog. Conſtitut. non tamen prælati faciles eſſe debent ad mandandum ſub præcepto, niſi vrgens neceſsitas id expoſcat, quia multiplicare præcepta, eſt fratres in periculum præcipitare, ita Pariſ. 1269. Oxoniæ 1280.

Ferrar.1290.& in Prolog.Conſtitut.Tex.10. Prælati omnes à multitude præceptorum, & ordinationum abſtineant,ne laqueum animabus ſubditorum inijciant, ne propter deffectum vnius, vel paucorum,quē,vel quos non audent corrigere,communitatem inuoluant,&Romæ 1518.Prælati præcepta ad peccata mortalia obligātia,aut nulla,aut quam paucisſima faciant,maxime circa eas ordinationes,quæ longo tempore ſunt duraturæ. Hinc patet quam odioſſa reddatur, ac nociua pacifico, ac ſuaui iugo Religionis noſtræ præceptorum indiſcreta multiplicatio, quam contraria Rugulæ Sancti Auguſtini,ac ſacris Conſtitutionibus noſtris,quæ non niſi ad pœnas, non autem ad culpas obligare prætendunt, Hinc tot tam Fratrum,quam Sanctimonialium lamentabiles quærimoniæ, qui tanto pondere præceptorum in hac noſtra Hiſpaniæ Prouincia,nedum oppreſſos,ſed & ſeſe ſuppreſſos miſerande deplorant. Cui abuſui, vt occurratur omnino volumus,ac mandamus, vt ſi non omnia omnino præcepta tollantur,ſaltē certus modus, & moderatio præſcribatur,ſic,vt ſeruētur cōſtituriones illeſæ. Vnde cómittimus in proximo futuro Diffinitorio Capituli Prouincialis, tam Prouinciali eligendo, quam Patribus Diffinitoribus, cæteriſque Magiſtris à Prouincia acceptatis,vt negotium de multitudine præceptorum matura deliberatione diſcutiāt, videant, & iudicent quid magis expediat pro bono regiminis, iuxta Conſtitutiones noſtras,vel an omnia præcepta diu duratura,& permanentia,penitus ſint tollenda, vel ſi non omnia,quæ & qualia ex illis magis neceſſaria; ita tamen, vt magna moderatio fiat,ac omnibus Prioribus taxa, ac limites deſignentur, quos multiplicando præcepta excedere non valeant,plura tollantur, & certus modus,ac regula ſtatuatur,ne iugum Religionis noſtræ

ex primæua inſtitutione leue, & ex natura ſua ſuaue, reddatur intollerabile, & conſcientias ſubditorum laqueis innodemus, cum periculo ſalutis æternæ, & diſcrimine animarum. De quibus, vt nos quam primum certiores reddat, volumus, ac mandamus, remittendo ad nos ea, quæ in Diffinitorio circa hanc materiam iudicata fuerint expedire, vt eadem approbemus, aut reprobemus, prout opus eſſe cenſebimus.

## *Circa ſtudium, & ſtudentes.*

PRiores, tam Prouintiales, quam Conuentuales, omni cura, ac ſolicitudine ſtudia litterarum pro viribus promouere nunquam negligant, aut permittant, idoneos condigne præmiando, & ineptos, ac infructuoſos, ſi qui reparti fuerint à ſtudijs ablegando, à ſcholis remoueantur, ne locum præripiant aptioribus, & multũ pro futuris. Exercitia ſtudiorum ſint continua, nec leuiter, & non niſi ex vrgenti, & grauiſsima cauſa in quotidianis lectionibus, aut conferentijs diſpenſetur, aut ſuperſedeatur, ſed ſemper remaneant in cõtinuo motu, auferentes ab omnibus Prioribus facultatem diſpenſandi in præcepto circa hoc aliàs poſito. Et ſi qui Lectores à ſententijs, & doctrinis in ſcholis noſtris, ſecundum Diſcipulorum S. Thomæ intelligentiam docere ſolitis, deflectere auſi fuerint, & nouas ſententias, aut doctrinas introducere præſumpſerint, illi tales in pœnam ab officijs ſuis ubſoluantur, ac perpetuo priuati inhabiles declarentur ad omnia officia, & dignitates in ordine, & eorum ſcripta, & dictata à curate examinentur, ac pro meritis iudicio aliquorum Magiſtrorum ad hoc determinandorum cenſurentur, ac condemnentur.

## Circa ſcripta, ac dictata Lectorum.

ORdinamus, ac ordinando præcipimus, vt exacta ratio habeatur ſcriptorum, & dictatorum, tam Cathedraticorum Salmanticenſium, quam Complutenſium, quam etiam Lectorum Collegij Sancti Gregorij, & Conuentus Sancti Pauli Vallis-Oletani, & Abulenſis, & omniũ ſtudiorum generalium, & ſemper vnũ, aut duo exemplaria nitide reſcripta eorum, quæ legerunt, aut ſcripſerunt in communi depoſito, aut communi Bibliotheca reponantur, ac diligenter ſeruentur: ſub pœna, vt ſi qui Cathedratici, aut Lectores in eo defeciſſe deprehendantur, aut acuratè curare neglexerint, illis nullatenus ſuffragentur lectiones habitæ in ordine ad gradus, & tanquam ſi illis annis quibus ſcripta tradere intermiſerunt, non legiſſe habeantur, ac reputentur.

Et cum intellexerimus quoſdam Lectores adeò deſides, qui laborare refugientes cum aliàs, nec ingenio, nec induſtria deſtituti ſint, qui in fide Parentum non aliud faciunt, quam materias ab alijs emendicatas de verbo ad verbum diſcipulis deſcribenda dictare, quaſi non niſi de carta in papyrum. Volumus, & ordinamus, vt proprio marte, ac genio ellaborent, vt quæ ipſi proprio ſtudio, ac vigilijs, & ſuis contemplationibus acquiſiuerũt, & præmeditata ſunt, alijs dictando perlegant; ita vt ſi quis aliorum materias ad verbum prælegere deprehenſus fuerit, ab officio Lectoris abſoluatur, & à ſtudio relegetur.

Circa

## *Circa Librorum impreſsiones.*

PRæſenti decreto mandamus, vt pars illa ſpoliorum Fratrum Defunctorum, quæ per Patres Prouinciæ olim deputata fuit in ſubſidium imprælsionum, ac per Procuratorem Prouinciæ à Conuentibus exigi, & recipi ſolet, in poſterum conſignetur tribus Patribus per A. P. Prouincialem pro tempore deputandis, qui pecunias illas fideliter ſeruare, & earum rationem reddere tenebuntur. Prohibentes omnibus tam Prælatis, quam ſubditis, & quomodocumque curæ noſtræ ſubiectis ſub præcepto formali, ac pœnis proprietarijs debitis ipſo facto incurrendis, ne quiſquam alijs vſibus eas applicare præſumat, ſed omnes fideliter, & accuratè ſolis impræſſionibus librorum deſſeruiant, & in ijs ſolis impendantur iuxta arbitrium Prouincialis pro tempore, cum conſilio diſcretorum Prouinciæ Patrum.

## *Circa veſtuarium.*

ORdinamus, ac diſtrictè præcipimus omnibus Prioribus, & Conuentuum Præſidentibus, eorum conſcientias in diem Domini de ſuper aggrauantes, vt omnibus Fratibus prouideant de maximè neceſſarijs indumentis, ſaltem de calceis, caligis, & tunicellis laneis: & ſi quis Priorum authenticam fidem ad Capitulum Prouintiale, aut Congregationem intermediam, non ſecũ detulerit, qua pateat ſe omnibus ſufficienter prouidiſſe, illum talem ex nunc protunc voce priuamus, tam actiua quam paſsiua, nec vllatenus, vt vocalis ad Capitulũ

admittatur, ſub pœna nullitatis omnium per alios vocales agendorum, aut determinandorum, & ſub pœna nullitatis qualiſcumque electionis, tam Prouincialis, quam Diffinitorum ſi vnus talis admiſſus fuerit. Si autem aliquis Priorum expleto termino officij ſimilem ſupradictam fidem exhibere nequiuerit, illum inhabilitamus, & priuamus voce paſſiua, vt de cæto nunquã in Priorem eligi valeat, multo minus in Prouintialem.

Item diſtricte prohibemus ſub pœnis, tam in Capitulo noſtro Generaliſsimo Romano poſitis, quam etiã in Capitulis Prouincialibus huius noſtræ Prouinciç Hiſpaniæ, quas hiſce præſentibus omnes reualidamus, ne quis ſine vrgente neceſsitate, ac licentia in ſcriptis obtẽta lineis vtatur ad carnes, neque Prouinciales ſint faciles ad huiuſmodi licentias concedendas, niſi vera, realis, ac vrgens ſubſit cauſa per Medicum iurata.

## *Circa Priores inhabiles.*

SIcut Conſtitutionibus noſtris diſponitur, vt in Priorem eligi nullatenus valeat, qui non ſit potens, in omnibus, & per omnia ſequi Communitatem, tam in Refectorio, communibus cibis, & frequela chori; ita de nouo mandamus ſub pœna nullitatis electionis faciendæ, ne quis ad communem vitam ineptus de cætero in Priorem eligi permittatur, ad quos Patres Prouinciales attendere tenentur in Deo, & conſcientia in delectu perſonarum; cum contingerit aliquos electoribus proponi: prohibẽtes: ne quemquam talem cõfirmare poſsint, etiam ſub pœna nullitatis.

## *Circa Conuentus, qui ex ſolis viuunt eleemoſynis.*

QVia non niſi ſcandala oriuntur ex diuturna commoratione fratrum extra clauſtra prætextu eleemoſynarum conquerendarum, quinimò ſæpè plus detrimenti intemporalibus, quam emolumenti ex eleemoſynis, cùm ſe ſuſtentent ex eleemoſynis intuitu Cõuentuum datis, & ſibi Miſſas applicant, hinc ordinamus, & abſolutè præcipimus conformiter ad Decretũ Senatus Regij nuper promulgatum, ne Priores vllatenus permittant qualeſcunque Relioſos ſibi ſubditos diutius, & quaſi permanenter quocumque prętextu, etiam eleemoſynæ petendæ pro communitate extra Conuẽtum diuagari, & in villis, aut pagis permanere, ſub pœna abſolutionis Priorum, alijs pœnis arbitrarijs, & priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ Religioſorum vagabundorum, niſi præfixo tempore meſsis trituræ, & vindemiæ: tempore meſsis, videlicet, præciſe per vnũ mẽſem, & tempore vindemiæ, per vigintidies; & non amplius, & ſemper cogantur his peractis diebus rectè ad Conuentum quiſque ſuum reuerti: tempore autem Aduentus, & quadrageſsimæ ſolis Dominicis diebus, & feſtiuis, & quibus opus erit ad eundum, & reuertendũ, à Conuentibus ſuis abeſſe poterunt, & à Sabbato Dominicæ in Paſsione, vſque ad tria feſta Paſchalia incluſiuè, & ſi quæ aliæ eleemoſynæ occurrerint petendæ, ad ſummum interdum ad octo dies, & non amplius licentia detur, ſicut quando interdum petũtur, vt pro aliquo ſolemniori feſto, vel iubileo lucrando contionem vnã, aut alteram ad Populum habeant, tunc illis ſolis diebus,

bus, & vno quo vadant, altero quo reuertantur ab eſſe poterunt; exceptis ſupradictis diebus, nullus ſub pœnis taxatis à Conuentu abeſſe præſumat. Et omnes teneãtur pro obligatione Conuentus, etiam foris exiſtentes Miſſas ſuas celebrare, prout eas Conuentibus ſuis de facto applicamus, & eleemoſynas pro Miſsis receptas fideliter Prioribus ſuis conſignare, ſub pœnis proprietariis debitis.

Quæ licet pauca, tamen, vt omninò neceſſaria, ac ſubſtantialia Religionis obſeruanda præſcribimus, vtpotè ſine quibus vera Religio, & obſeruantia regularis, & monaſtica diſciplina ſubſiſtere nequaquã poteſt. Vnde iterum, atque iterum obteſtamur, & obſecramus atque in Domino monemus, vt in obſeruantia prædictorum verus Religionis feruor, ac zelus in omnibus vobis eluceſcat, prout hæc, & his meliora de vobis confidimus; per gratiam Spiritus Sancti. In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Et ne quis prætextu ignorantiæ ſe excuſare præſumat, atque ne ordinationum harum notitia quempiã ſubterfugiat; præcipimus in virtute Spiritus Sancti, ac ſanctæ obedientiæ, & ſub formali præcepto, nec nõ ſub pœna priuationis ſui officij, & vocis actiuæ, & paſsiuæ in perpetuum R.P.M. Vicario Prouinciæ Hiſpaniæ, vt quam primum has litteras, ac ordinationes receperit, ſtatim in publico Refectorio aut Capitulo, omnibus audientibus alta voce, ac diſtinctè perlegi faciat, & eos fideliter excudi, ſiue typis mandari, & ad omnes Conuẽtus Prouinciæ præfatæ earum exemplaria tranſmitti curet, nobiſque duo, aut tria exemplaria prima oportunitate tranſmittat; præcipientes ſimiliter ſub eodem ſupradicto præcepto formali, & pœnis omnibus Prioribus, & Præſidentibus Conuentuum huius noſtræ Prouinciæ

uinciæ

uinciæ Hiſpaniæ; vt intra ſpacium trium dierum à receptione harum, in publico Refectorio, vel in Capitulo coram omnibus Patribus, & Fratribus eas legi, atque publicari faciat. Hoc autem originale ſeruetur in Depoſito Prouinciæ ab A.R.P. Vicario Prouinciæ, vel pro tépore Prouinciali. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Dat. Cordubæ in noſtro Conuentu S. Pauli, die 21. Aprilis 1647.

*Fr. Thomas, qui ſupra.*

Regiſtrata fol. 2.

**Fr. Marius Ambroſius Cappello**
**M. Prouincialis Terræ S.**

## *Abſolutiones.*

ABſoluimus omnes Suppriores, & Vicarios Conuẽtuum non habentium Priores, exceptis Supprioribus de la Peña de Francia, & Monbeltram propter inſtantes electiones.

## *Aceptationes.*

OCeptamus Magiſterium R.P. Fr. Franciſci de Tapia Sanctæ Inquiſitionis Calificatoris, & Prioris Sanctæ Cruzis Regalis Segobienſis, & R.P. Fr. Petri de Godoi Prædicatoris Regij, & veſpertinæ Cathedræ in Vniuerſitate Salmanticenſi moderatoris, & præſen-



ta-

taturas R.P.Fr. Ildephonſi Gallego, Sanctæ Inquiſitio nis Calificatoris, & Vicarij Regni Galęciæ, & R.P.Fr. Andreæ de Agramōte Cathedrę Veſpertinæ inciuitate obetēſi moderatoris, & R.P.Fr. Franciſci de Arſua, Lectoris Theologiæ Sancti Pauli Vallis-Oletani, & R.P. Fr. Dominici de Subijana Lectoris Theologiæ Sancti Thomæ Abulēſis, & R.P.Fr. Mauritij de Leçana Regentis Collegij Sancti Gregorij VallisOletani, & Prędicaturam Generalem R.P.Fr. Antonij de la Madrid, pro Conuentu de la Peña de Francia, & R.P.Fr. Antonij Aluarez, Prædicatoris Conuentus Sanctæ Crucis Regalis Segobienſis, pro Conuento de Trianos.

## *Expoſitiones.*

EXponimus ad legendas ſentētias pro forma, & gradu magiſterij incluſiue R.P.Fr. Ioannem de Eſcudero Priorem Sancti Pauli Burgenſis, & ad legendas ſententias pro gradu, & forma magiſterij excluſiue R. P.Fr. Petrum de Balbuena Lectorem Theologiæ Sancti Ildephonſi de Toro.

## *Creationes.*

CReamus in Prædicatores Generales, R.P.Fr. Auguſtinum de Haro, Priorem Conuentus de Santillana, pro Conuentu de Atocha, R.P. Fr. Ioannem Ruano, Prædicatorem Sancti Pauli Vallis Oletani pro Cōuentu de Burgos, creamus in Priorem noſtri Conuentus Roſſarij de Orenſe R. P. Fr. Ludouicum de Bibero, præſentatum, & Prædicatorem Generalem.

*Ad-*

## Admonitiones.

ADmonemus omnes Patres Priores circa ordinationē factam à Reuerendiſsimo P. M. Generali, de Veſtiario præbendo Religioſis, quod nullo pacto admittēdi ſunt ad electionem Prouincialis, & Diffinitorum tā reſpectu actiuæ vocis, quam paſsiuæ, niſi iuſta tenorem eiuſdem Ordinationis adduxerint teſtimoniū fide dignum examinandum antecedenter ad quamcumque electionem Prouincialis, vel Diffinitorum, faciendam in quocūque Capitulo, ſiuè Prouinciali, ſiuè intermedio.

Item admonemus (quod iam ſepius admonitum eſt) Collegio videlicèt, Sancti Thomæ Complutenſis ſubueniendū eſſe, ſicut hucuſq; pro quo quilibet huius noſtræ Prouinciæ Conuentus vnam Miſſam ſibi deſignatā in qualibet hebdomada celebret pro præfato Collegio, quas omnes ex nūc pro tūc pro eodem applicamus in ſolidum.

### *Præcepta ad omnes, & ſingulas perſonas.*

MAndamus in virtute Spiritus Sācti, & Sanctæ obēdientiæ, & ſub præcepto formali omnibus, & ſingulis fratribus huius noſtræ Prouinciæ ſequentia.

*De non ingrediendi cellas.*

Primum, ne duo, vel plures Fratres Ordinis noſtri coexiſtant ſimul in aliqua cella Fratruum huius Prouinciæ, excipimus cellas Priorum, & Magiſtrorum nouitiorum pro ſibi ſubditis, licebit autem ingredi cellas Magiſtrorum huius Prouinciæ, & eorum qui Prouincialatus Officio functi fuerint; denuntiantes, quod cellæ fratrum poſt notificationem aſsignationū ab illo Conuentu, quam diu in Conuentu commorantur eodem prorſus præcepto tenentur, quod cellæ alio

rum Conuentualium;& ſimul declaramus, quod ſi ille cuius, cellam aliqui Fratruum ingredi poſſunt à Conuentu, vel loco, in quo Conuentus exiſtit, abſens fuerit illam pro tunc non gaudere tali Priuilegio ſeu licentia. Poterunt autem Patres Priores, ſeu Præſidentes Conuentuum diſpenſare cum ſibi ſubditis, dummodo, non ſit Generalis, aut fræquens diſpenſatio: quæ poſt vltimum ſignum poſt completorium nullatenus fiat ſine ſufficienti cauſa, & pro qualibet vice: ab hoc autem prę cepto non excipiuntur cellæ Conuentuales, quando in eis contingat aliquem Fratrem infirmari, niſi à Priore, vel Præſidente Conuentus eſſe cellam infirmi declaretur.

*De non ingrediendo curiam Regiã.*

Secundum, ſub eodem pręcepto mandamus, nequis curiam Regiam ingrediatur, neque eius ſub vrbana (etiam cauſa ſuſcipiendi Sacros Ordines) nec illic pernoctet; quod vt infalebilius executioni mandetur, ſub eodem præcepto, nec non ſub pœna excomunicationis maioris latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda vna hac pro trina canonica monitione præmiſſa, mandamus omnibus R. ad M. PP. Prioribus, qui nunc, & pro tempore extiterint in noſtro Conuentu Sãctæ Mariæ Regalis de Atocha, Sancti Thomæ Matritenſis, Hoſpitij, & Roſarij, vt quem libet Fratrem cuiuſcumque ſtatus ſit, & conditionis, quem in prædicta curia, aut in eius ſub vrbanis ſine ſocio diuagantem repererint, ſtatim apprehendant, & R.P. Priori noſtri Cóuentus de Atocha tradant, qui eos tam in pane, & à qua quam carcerali cuſtodia ſeuere puniat; declarantes omnes Hoſpites cuiuſcũque conditiones ſint ad ipſum Priorem, ſeu Præſidentem dicti Hoſpitij pertinere, etiam quo ad correctionem, & punitionem.

Tertium, nequis adeat monaſteria monialium, nec

bea-

beatarum, nec aliarum mulierum in vnum congregatarum ſub obedientia viuentium, nec ad earum Eccleſias adcolloquendum cum ipſis, niſi de licentia Prioris pro qualibet vice; quæ licentia in alium diem tranſlata non valeat, nec dari poſsit a Supprioribus, nec Vicarijs Prioribus in oppido exiſtentibus. *De non adeundo Monaſteria monialiũ.*

Quartum, (vt libertati electionum conſulamus iuxta decreta Sacrorum Canonum, & Ordinationum Reuerẽdiſsimi P. N. M. Generalis Fr. Thomæ Turco) præcipimus ſub eodem præcepto omnibus Fratribus noſtræ Prouinciæ, ne aliquis tractet, nec ſe intromittat in electione Prioris alicuius Conuentus, verbo, aut ſcripto, per ſe, vel per alios, etiam ſi ſit Prior eiuſdem Conuẽtus in quo electio eſt futura, & vocem habuerit in electione vſque dum ſuum officium perfecerit. *De non tractãdo de electione Prioris alterius cõuentus.*

*Præcepta particularia ad ſpeciales perſonas.*

PRæcipimus in virtute Spiritus Sancti, & Sãctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali ſequentia.

Primum, quod Fratres depoſitati in hac noſtra Prouincia, ſiue in aliquo ipſius Conuentu (modo ſint ex noſtra modo ex aliena Prouincia) teneãtur ad omnia præcepta tam Prouinciæ, quam Conuentuũ in quibus ſunt Depoſitati, & pro his teneantur tot miſſas dicere ac ceteri aſsignati, hebdomadam facere, & omnia alia officia exercere, ac ſi vere eſſent aſsignati, declarãtes, quod Depoſitati in noſtra Prouincia non habent vocem in electione Conuentuum in quibus ſunt depoſita. *Fratres Depoſitati ad quid teneãtur.*

Secundum, ſub eodem præcepto formali mandamus omnibus Fratribus Conuentuum ſtudiorum, ad quos quomodolibet ſtudium attinet, vt nullo modo omittantur in diebus lectiuis lectiones, conferentię, aut *De reformatione ſtudiorum.*

 con-

concluſiones, nec hora conſueta earum mutetur, neque in illis dentur recreationes, præterquam in vigilia actus maioris, & die immediate ſequenti, in octauis natiuitatis domini, reſurrectionis, & Pentecoſtes, octauoq; die ſolemnitatis corporis Chriſti, & in recreationibus octo dierum ante aduentum, & quadrageſsimam conſuetis, aut ſi forte hora concluſionis, conferentiæ, aut lectionis ſpecialis occurrat pro toto Conuentu ocupatio, & nomine dierum lectiuorum intelligimus eos, in quibus (iuxta diſponendum inferius) Patres Lectores non tenentur matutinis intereſſe, & qui ex præcepto non ſeruantur a populo, quod ſi nulla die alicuius hebdomadæ ab exercitio ſtudiorum vacauerint Fratres, poterunt Patres Priores ſeu Conuentum Præſidentes in concluſione, & conferentijs cum eis eiuſdem hebdomadæ feria quinta diſpenſare: obſecramuſque R. ad M.P.N.P. vt nullatenus alicui concedat facultatem in iſto præcepto diſpenſandi.

## *Ordinationes.*

Ordinamus, quod alias præceptum eſt, vt bona fratrum defunctorum ante eorum diſtributionem à Præſidente Conuentus, duobuſque depoſitarijs, aut grauioribus Patribus, fideliter omnia, & ſingula in ſcriptis numerentur (vna tantum excepta veſte) & ſicenumerata in tres æquales partes diuidantur, quarum vna ſit integre pro anima defuncti, & huius diſpoſitio ad Conuentus per æquales expectabit, ad quos & defunctus pertinebat, ſiue ratione aſsignationis ſiue filiationis, ſiue Prioratus: duæ verò aliæ partes æqualiter expectabunt ad Conuentum cuius erat filius, & in quo erat aſsignatus. Præſidens autem Conuentus in quo frater obijt nullo

*Quomodo diſtribuantur bona defunctorum.*

mo-

modo diſponat de parte ad alium attinente Conuentũ, vſque dum ad ſit diſpoſitio, & notitia præſidentis illius Conuentus, ad quem illa pars attinet. Quod ſi Religioſus non habuerit bona, dicantur pro eo, quam primum quinquaginta Miſſæ inſolidum.

*De non pernoctando extra Conuentum.*

Item ordinamus ſub pœna quindecim dierum in pane, & aqua (quam prælatus teneatur infligere ſub pœna ſuſpenſionis ab officio) ne vllus frater pernoctet extra Conuentum in locis vbi Conuentum habemus.

*De licẽtijs itinerãdi.*

Item ordinamus, & præcipimus omnibus Prioribus & Conuentuum præſidentibus, ne fratribus licentiam itinerandi concedant vltra ſpatium quatuordecim leucarum, quod & in conſtitutionibus cautum eſt.

*De loco ſotij.*

Item ordinamus, vt ſeruetur decretum de loco ſotij R.A.*P*.N.*P*rouincialis, vt hucuſque ſeruatum eſt.

*Confeſſores, & procuratores Monialiũ quot miſſas celebrare debeãt.*

Item ordinamus, quod confeſſores, & procuratores monialium tres Miſſas celebrent pro Monaſteriorum obligationibus, quas ſi monaſteria non habuerint, eas pro intentione R.A.*P*.N.*P*rouincialis celebrent: ſi verò Conuentus tot obligationes habuerit, vnam (ad minus) qualibet ſeptimana Miſſam dicant pro intentione R.A.P.N.Prouincialis, ex his, quæ perſonaliter ad eos pertinent, quam Miſſam ex nunc pro tunc in foro conſcientiæ in ſolidum applicamus.

*Licentiæ, & aſsignationes, quando ſunt notificandæ.*

Item ordinamus, vt inſtitutiones, aſignationes, licentiæ, & depoſitationes, quæ intra duos menſes à die conceſionis notificatæ non fuerint, ipſo facto ſint nullæ, ſolumque notificentur à *P*ræſidente Conuentus, aut de eius licentia, niſi cum frater in via illam receperit.

*De abſtinẽtia carnibus.*

Item ordinamus, & prioribus aut præſidentibus cõuentuum ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs præcipimus, vt nulli carnium eſum concedant, niſi in die Dominica Feria 3. & 5. duntaxat, cum aliquibus diſpenſe-

tur

tur, dimidia ſaltem parte in Refectorio remanente; in cæna verò nullus permittatur eſus carniũ, nec fiant Prioribus conuiuia, niſi vrgenti cauſa, & cum moderatione Religioſa. In hoſpitio autem ſilentium inuiolabiliter obſeruetur.

*Magiſtri Nouitiorũ non notentur ad hebdomadam.*

Item ordinamus, quod Magiſtri nouitiorũ, nec hebdomadam faciant, nec ad illam notentur, & quod locũ obtineant immediatum poſt huius Prouinciæ præſentatos, in domibus, quibus R. A. P. N. Prouinciali viſum fuerit. Nullus autem deinceps fiat nouitiorum Magiſter inconſulto R. A. P. N. Prouinciali, qui de conſilio patrum zelo, & Religione præſtantium omnes Magiſtros Nouitiorum approbet aſſumendus. Et ex his, quicumque tale officium laudabiliter iudicio R. A. P. N. Prouincialis exercuerint, in perpetuũ paternitatis gaudeant titulo.

*De depoſitarijs faciendis*

Item ordinamus ne fiant depoſitarij alicuius conuentus, niſi de aſſenſu ipſius in publico Capitulo, à quo officio nequeant ammoueri, niſi de cõſilio patrum; quod ſi contingat priorem ex dictis aliquem aſignare velle, teneatur prius R. A. P. N. Prouinciali manifeſtare aſignandum officio fungi depoſitarij talis Conuentus.

*Priores non habeant apud ſe librum procurationis.*

Item ordinamus, & mandamus patribus prioribus ſub pœna abſolutionis ab officio infalibiliter infligenda, vt librum procuratoris, ſeù communium expenſarum conuentus apud ſe non retineant, nec manu propria in eo quid conſcribant, per ſe ipſos officium Procuratoris exercentes, nec niſi coram depoſitarijs, alijs ve duobus fratribus in eorum abſentia, ratiocinia faciant.

*De Roſſario recitando*

Item ordinamus iuxta decretum Reuerendiſsimi P. N. Generalis, vt ſingulis diebus poſt completoriũ omnes fratres, & ſorores recitent alta voce, & deuote per choros alternando tertiam partem Roſſarij Beatæ Virginis,

ginis, ſecundum ordinem myſterioum.

Item ordinamus, vt fratres ad audiendas confeſsiones, & contionandum exponi nõ poſsint, niſi in ſtudijs generalibus, inter quæ Pampilonenſem vniuerſitatem volumus comprehendi: & non aprobentur, niſi adſit ſaltem vnus ex Theologiæ Lectoribus, & ſolumper trienium: quo expleto iterum examinentur: excipimus Lectores Artium, caſuumque conſcientiæ expoſitos poſt quam inſtituti ſunt, & eos qui per nouem annos licentias, ſeu expoſitiones habuerint; quibus concedimus, vt poſt nouem annos decurſos quibus gauiſi approbatione fuerint, queant ſimpliciter exponi. Quod ſi quiſpiam in aliquo conuentu examinatus, reprobatus fuerit; neque examinetur, nec examinatus approbari queat, niſi tranſactis ſex menſibus: quod ſi contrarium fecerit (vt ſubrectitiam) expoſitionem nullam reddimus, & inanem. Et vt tutius conſulatur conſcientiæ, & miniſterio, prædicti examinatores certiorem reddant priorem conuentus de examine, & reprobatione ſui ſubditi, eorum conſcientias in diem Domini à grauantes iniungimus, vt examen cum ſumma rectitudine peragant.

*De examine cõfeſſorũ.*

Item ordinamus, quod in receptione nouitiorum ad habitum, & profeſsionem, vota fratrum per ſchedulas, vel fabas admitantur, & regulentur à Prælato cum aſſiſtentia duorum antiquorum Patrum in Capitulo aſſiſtentium.

*De modo recipiendi Nouitios.*

Item ordinamus, quod Suppriores, in Sede Vacante, vel quacumque Priorum abſentia, nõ applicent ſibi plures Miſſas quam quæ eis communiter conferuntur.

*Supriores non aplicẽt ſibi Miſſas.*

Item ordinamus (vt ambitionis via omnino à fratribus recludatur) quod nullus pro ſe memoralia exhibeat noſtris Capitulis, & Diffinitoribus: Quod ſi mærita, & obſequia prẽſtita in ſui fauorẽ quocumque pretextu cõmendauerint, tanquam indigni, & ambitioſi ad hono-

*De non mittendo pro ſe memorialia*



rem

rem intentum non admittantur, & in ſuper pœnis alijs ad arbitrium R.A.P.N. Prouincialis puniantur.

*Lectores, & prædicatores quando debent intereſſe matutinis.*

Item ordinamus omnibus huius noſtræ Prouinciæ Lectoribus, & Prædicatoribus, vt in maioribus Eccleſiæ ſolemnitatibus in omnibus feſtis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, Euangeliſtarũ, quatuorque Eccleſiæ Doctorum, & Sanctorum noſtri Ordinis, matutinis, miſſæque maiori omnino interſint, & quod ab ſtudijs non vacent, quando prædictæ ſolemnitates in diebus proprijs non celebrantur; exceptis feſtis annuntiationis, & Sancti Thomæ aquinatis, & Prælati ſummo pere inuigilent in obſeruantia huius ordinationis, ſicut etiam in aſsiſtentia fratruum ad completorium, Salbe Regina, & tertiam partem Roſſarij, nullum ab vſum permitentes, nec diſpenſationem concedentes abſque legitima cauſa; Nec lectores artium, qui curſum ſuæ lectionis peregerunt diſpenſare poſsint Patres Priores ab aſsiſtentia chori poſt primum ſuæ vacaturæ annum cõpletum, niſi de licentia R.adm.P.N.P.

*Circa ſtudium & ſtudentes.*

Item ordinamus ſtricte cuſtodire ordinationem Reuerendiſsimi P.N. Generalis Fr. Thomæ Turco, circa ſtudium, & ſtudentes, & circa ſcripta, & dictata lectorum, & quod R.A.P.N.P. in viſitationibus conuentuum accurate diſquirat de ſufficientia, & aſsiſtentia lectorum, & quos negligentes, vel minus idoneos repererit infalibiliter abſoluat ab officio lecturæ; Nec non, & ſtudẽtes ineptos à ſtudijs ammoueat, & in alijs miniſterijs ocupet, quibus tamen per duos integros annos exercitia ſtudiorum permittãtur, vt eorum ignauia manifeſtius innoteſcat, quibus peractis ſi omnino inhabiles inueniantur, repelantur a ſtudijs ſine recurſu, ſpe vlterius redeundi; in quo R.A.P.N.P. conſcientiam in diem Domini agrabamus, obſecrantes, vt nullius petitionis interuentu huic noſtri ordinationi cedat; Præcipimus omnibus R.P. Prioribus Conuentum ſtudiorum

ne

ñe in diebus lectiuis lectores, ñec ſtudentes extra Conuentum exire permittant, nec etiam prætextu audiendi confeſsiones niſi grauis vrgeat neceſsitas.

Item ordinamus, quod ad litteram obſeruetur ordinatio Reuerendiſsimi P.N.G. Fr. Thomæ Turco circa Conuentus qui ex ſolis viuunt eleemoſynis, & quod Priores, qui in ipſius executione negligentes fuerint, à ſuis officijs infalibiliter abſoluantur. *Circa Conuentus qui ſolum viuunt ex eleemoſynis.*

Item ordinamus, ſummam curam adhibendam eſſe, circa receptionem nouitiorum ad habitum, & profeſsionem, ne inepti, & minus habiles cum magno Religionis diſpendio admittantur, vt ſcilicet examen ipſorum fiat à tribus PP. examinatoribus iuxta normam noſtrarum conſtitutionum ſimul exiſtentibus, in præſentia Prioris, ſeu præſidentis Conuentus. *Circa receptionem nouitiorum.*

Item ordinamus, ne quis repræſentationibus, ſiue comedijs, quæ a publicis hiſtrionibus, qui hoc ex officio habent, fiunt, interſint, niſi in capitulis Eccleſiarum, in domibus Epiſcoporum, aut publicis Sanctorum ſolemnitatibus, & quod Prælati, ſeu Conuentuum Præſidentes comedias in domibus noſtris fieri non permittant, etiam ſponte oblatas, nec fratres eas repræſentent, aut vllo pacto veſtibus vtantur ſecularibus, admonẽtes omnes patres Priores, ſeu præſidentes Conuentuum, qui in hoc negligentes fuerint, ab officio abſoluendos fore. *Circa comedias.*

Item ordinamus, vt nullus frater alienæ Prouinciæ in noſtra exiſtens, ſiue denuo adueniens aſsignetur, ſed tantum depoſitatus maneat, vnde tenore præſentium ex nunc protunc reuocamus omnes prædictos fratres cuiuſuis ſint Prouinciæ ab huius noſtræ quibuslibet conuentibus, in quibus fuerint aſsignati, & in eiſdem depoſitamus, qui omnino ſeruabunt leges depoſitorum ſuperius ſancitas. *fratres alienæ Prouinciæ ſint depoſitati.*

Item ordinamus, & declaramus, vt in Conuentibus, vbi plures adſunt magiſtri, antiquior eorum ſit regens *Magiſtri ſunt*

 co *regẽt*

eo tamen à gymnaſio abſente, Magiſter, qui ſuccedit; & ſic ſucceſiue alij iuxta ſuorum antiquitatem graduũ vbi tamen vnicus tantum adeſt ipſo facto ſit regens, nõ obſtante quacumque conſuetudine, ſeu potius corupte la in contrarium.

*Cathedratici Vniuerſitatũ*

